

doctrinae studiis levaverunt. Princeps hujus civitatis Phale-reus Demetrius, quum patria pulsus esset injuria, ad Ptolomaeum se regem Alexandriam contulit: qui, quum in hac ipsa philosophia, ad quam te hortamur, excelleret, Theophrastique esset auditor, multa praeclara in illo calamitoso otio scripsit. — Dicitur tum monuisse regem, cuius hospitio utebatur, ut conscriptos de regno imperioque libros sibi compararet atque perlegeret: *Quia, inquiens, quae amici non audent monere reges, haec in libris scripta sunt.*

2. Quamdiu respublica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat, omnes suas curas cogitationesque in eam conferebat Cicero: — et plus in agendo, quam in scribendo, operae ponebat. — Qum autem dominatu unius omnia tenerentur: — nec se angoribus dedidit, quibus esset confectus, nisi iis restitisset, nec rursum indignis homine docto voluptatibus. — Fugiens conspectum sceleratorum, quibus omnia redundabant, urbe reicta, rura peragrabat, abdebatque se, quantum licebat, et saepe solus erat. Nihil agere autem quum animus ejus non posset, neque vellet languere eam solitudinem, quam ipsi adferebat necessitas, non voluntas: existimavit honestissime molestias posse deponi, si se ad philosophiam retulisset, cui multum adolescens, descendit caussa, temporis tribuerat: omne studium curamque convertit ad scribendum: — atque ut, qui antea occupatus profuerat civibus suis, aliquid quoque iis prodesse posset otiosus, — elaboravit, ut doctiores fierent et sapientiores: pluraque brevi tempore, eversa, quam multis annis stante respublica, scripsit. — Sic paruit virorum sapientum praecerto, qui docent, non ex malis eligere minima oportere, sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid insit boni.

3. Doctrinae studia et optime felicitatem extollunt, et facillime minuunt calamitatem: eademque et ornamenta hominum maxima sunt, et solatia.